


Vd  
2773



Q22



Cl. 56, 8.

ELEGIA

Vd  
2773

DEO OPTIMO  
MAXIMO

CONSECRATA

PRO

RESTAVRANDA PACE ET  
SALVTE PVBLICA

---

AVCTORE

*M. CAROLO FRIDERICO WILHELMI,*

*DIAC. ERBISDORF.*



FREIBERGAE, prelo MATTHAEANO.

MDCCLVII.

REGIA  
DEO OPTIMO  
MAXIMO  
CONSERVATA

*Lotich.*

Me iuvat in studiis consumere dulcibus aenium

Signaque Musarum prosperiora sequi:

Et, quae sera legat nostri non immemor aetas,

Carmina tranquillae fingere pacis opus.



MEMBER OF THE MATTHEW  
MDCCLXXII



*ELEGIA*

pro

Restauranda pace et  
Salute publica.

---



Nunc, age, rumpe moras, quae quon-  
dam laeta dedisti  
Carmina, delicias, Musa pudica,  
meas.

Dic, age, festivum sacro de pectore carmen,  
Aures quod possit sponte mouere pias.

Non equidem laetis iamiam cantamus amicis:

Laetitiae nostrae proxima causa fugit,

Sed MAECENATI cantu placuisse iuuabit,

Qui tibi praesidium dulce decusque fuit.

Ast iam verte stylum: praebent mihi tristia causam

Tempora lugendi: non ego laeta cano

Conquerar an fileam? dubito nec dicere possum:

Namque mali admonitu fit nouus ipse dolor.

Sed tamen erumpit luctus, sua signa doloris

Immensi ostendens. Heu mihi! iusta queror.

Flebilis hic adsum; spargo sine lege capillos;

Non est conueniens laeta corona mihi.

Ignoscas, o summe Deus, de carmine moesto,

Quod nimis ex vero nunc sibi nomen habet,

Quod Tibi sit dictum, consecratumque manebit:

O caleat semper pectus amore Tui!

Et doceas me, iusta peto, PATER ALME, poetam,

Materiam cantus dicere rite mei.

Heu! PAX omnis abest multorum causa bonorum!

Reges bella gerunt! licet arma fremunt!

Sic nunc tristitiam passim bellumque videmus:

Heu! Pax omnis abest: grande leuamen abest!

O ciues, ciues! iuuat indulgere dolori,

Mecum una patriam rite dolete meam,

Vos, qui sublimi Mauortia facta, poetae,

Materia canitis conueniente modis,

Sistite magnifico versu celebrare triumphos:

Exilium *Pacis* nostra Camoena canit.

Tempora non cingent lauri de fronte coronae;

Cupressum nunc nos implicuisse decet.

Illa ornant lactos felicia signa poetas:

Est bene conueniens luctibus hocce decus.

Callat Maeonides sublimi prodere cantu

Bello magnorum fortia facta ducum.

Arma virumque canit facundi Musa Maronis,

Roma triumphantis cum caput orbis erat,

Haec etiam interdum siluestri lenta sub umbra

Pergratum agricolis emodulatur opus.

Permulcens Latii numerosus Horatius aures

Tractauit curua carmina culta lyra.

Graecaque Musa suos pharetratos spirat amores,

Atque voluptates ipsa proterua refert.

Non haec cuncta quidem rapuit sub nube vetustas:

Sed iuuat aeternis viuere carminibus.

Me non ista decent: iuuat indulgere querelis;

Iamque canam, repeto, voce dolente mea.

Tristia sunt dicenda mihi, lamenta, dolores

Dicantur numeris, *Naso* poeta; tuis.

Quanquam *Nasonis* numeris mea tristia dico,

Casta tamen mens est: audiet ipse Deus.

Audiet ipse Deus. Procul, o procul ite, profani,

Diuino motu concita Musa canit.

O sistant horrore sacro sua murmura siluae,

Et fileant frondes, ulla nec aura strepat.

Temporis est aliquid retro meminisse beati,

Et nos praeteritae Pacis imago subit.

Cum laetae passim voces cantusque sonarent:

Ast nunc in mediis carmina moesta malis!



O si possemus tam fausto viuere saeclo,  
 Copia quo fluxit flumine plena vago!  
 Quid tamen ista iuuant? mutantur tempora passim.  
 Infelix habitus temporis huius adest.  
 Heu! Pax omnis abest! Germania pressa sub armis  
 Tota gemit cupiens esse soluta iugo.  
 Proh! stricto miles rigidum latus ense recinctus  
 Bella per Europam sanguinolenta mouet.  
 O faciem rerum tam tristi tempore tristem!  
 Quo sese reges ad fera bella vocant.  
 Ira citata ruit passis furibunda capillis,  
 Multaque prosternit belligerante manu.  
 Adspice, quanta cohors furiis agitata per omnem  
 Teutoniam sequitur bellica castra lubens.  
 En! procul e Gallis apparens aduena miles  
 Nunc belli et pacis iura soluta tenet.  
 En! procul e Russis fremit horridus ense per agros  
 Armorum rumor. Quanta caterua procul!  
 Austriacus miles iunctim fera praelia format,  
 Atque Borussorum prouocat inde manum.

Agmina concurrunt: en! iam sua signa sequuntur;  
 Et post concursum funera portat humus.  
 Mortue *Ziska*, tui cineres se forte mouerent,  
 Magnanime o quondam dux gregis ipse tui!  
 Ast nunc umbra filet, semper Manesque filebunt:  
 O potius tumulo, *Ziska*, quiesce tuo.  
 O! iam clade noua concussa Bohemia turget  
 Sanguine diffuso! *Praga* pericla refert.  
 Incertisque fremunt variis rumoribus urbes,  
 Vicinis praeter quas fluit *Albis* aquis.  
 Sic est. *Impietas*, *Discordia*, tetra *Cupido*  
 Vnanimis *Martis* iussa superba colunt.  
 Et *Rabies* laniata comas, *Errorque Furorque*  
 Sanguine gaudentes tristia quaeque parant.  
*Mens bona* ductatur manibus post terga ligatis,  
 Et *Pudor*, et castris quid modo *Martis* obest.  
 Illic errat inops trepida *Confusio* forma;  
 Atque hic accensis *Ira* superba genis.  
 Hos agitat ieiuna *Fames*; hos lurida vultu  
 Vexat mille malis exitiosa *Lues*.

Post varios casus, post multa pericula multis

Mors venit ostendens insidiosa caput.

Flet Pietas, Themis alta tremit suspiria tollens;

Ipsaque Relligio tristitia tanta dolet.

Ast o Saxoniam fatali tempore tristem!

Siccine Musa dolet dulce natale solum?

Prima tuae sonitum dedit heu! tuba bellica terrae;

Accidit inde tibi copia tanta mali,

Latus erumpens, sinuoso flumine currens,

Et versum et retro nunc mala plura mouens.

Ab pulcram *Dresdam!* quatenam inclementia tandem

Ingressa est urbem! Quae tibi iam facies!

Hortorum periit decus; alta palatia tristes

Seruant vix dominos. Heu *Tibi!* iusta queror.

Quisque peregrinus nunc occupat omnia miles?

Ast hic, Musa, tace. Define plura loqui.

Ponderat ipse Deus iudex discrimina regum:

At vero ciues nos decet esse bonos.

Sancta est maiestas regum. Procul ite, profani,

De quorum ore cadunt garrula verba leui.

Nos decet imprimis rem commendare *Potenti*,  
 Et pia pro patria solvere vota Deo.  
 Quis vetat interea describere carmine nostro  
 Quae tutis oculis obuia quisque videt?  
 Sic, age, Musa, canas et pergas dicere, quae sit  
*Saxoniae* nostrae squalida iam facies.  
*Lipsia*, Musarum seruatrix, pallida vulcu,  
 Carmina, praeuideo, iam quoque moesta canit.  
*Lipsia*, mercatu spectata, negotia versans  
 Flebilis exspectat mox meliora sibi.  
*Wittenberga* soror, doctrina atque artibus ampla,  
 Illacrimat pariter tristia fata dolens.  
 Urbes vicinae, *Torgauia* fessa querelis,  
 Et cum *Freiberga Pirna* pericla refert.  
 Atque urbes aliae iunctim cum rure loquuntur  
 Saxonica in terra flebile *Martis* onus.  
 O caram Patriam! modo respice, respice retro  
 Praeteritos annos. Quae variata tibi!  
 Mutata est facies rerum mutataque forma.  
 In quae nos seruas tempora, summe Deus!

O caram Patriam! referent tua damna nepotes:

Decidet ex oculis tunc quoque gutta tuis.

O caram Patriam! cecidit tua fama decusque!

Quid tandem veniet? Quis tibi portat opem?

Quis tibi depellet bellum aerumnasque perennes,

Quae ciues turbant haecenus usque tuos?

Quando finis erit lacrimis moestisque querelis,

Definet et quando tanta ruina tibi?

Deliciis variis tota de gente fugatis

Cogimur extrema viuere tristitia.

Sed quid plura queror? finisque modusque querelis

Eueniet nostris. Annuet ipse Deus.

Ipsè Deus, cuius sapientia, credite, summa

Omnia prudenti dirigit arbitrio.


Qui pacem bellumque regit, qui cuncta gubernat,

Cuius in obsequio sidera, terra mare.


O valeat *Zeno*, quem deuius abstulit error,

Omnia qui fato turpiter attribuit;

Vultus pro nobis sanguine tincta tuo.



Atque *Epicurus* eât procul hinc, qui cuncta reuolui  
 Contendit casu. Vana recede cohors.  
 Omnis vita manet diuini testis amoris:  
 In cunctis regnat prouida cura Dei.  
 Ipse aderit nobis votis precibusque vocatus:  
 Eueniet Facis lux celebranda nouae.  
 Non desperandum *Christo* duce atque auspice *Christo*,  
 Seruator mundi pacis amator erat:  
 Omnia, quae fecit pro nobis optima pacem  
 Spirabant. Nobis dulce leuamen erit.  
*Christus* erat magnus sine saeuo milite victor:  
 Non vim confirmant arma cruenta suam,  
 Non numerosa cohors, duris onerata catenis,  
 Ornauit pompam, maxime *Christe*, tuam.  
 Non victi reges pompae spectacula cernunt.  
 Profusis lacrimis, praeda superba, Tuae.  
 Non Te testantur disiectis moenibus arces,  
 Non terrae populis horrida bella moues.  
 Sunt equidem, o Victor, victricia signa triumphii  
 Vulnera pro nobis sanguine tincta Tuo.



Sed Tua longe alias superat victoria pompas;

Sanguis erat nobis optima nostra salus.

Ipse potens victor clausum firmumque sepulcrum

Saxi perrupit, quo tumulatus erat.

Protulit ille caput splendens pallentibus umbris:

Et PAX VOBISCVM verba Potentis erant.

Pacis amator erat victor noua regna capeffens.

Hic est, qui nobis pacis amator erit.

Spes confisa Deo tandem nos eriget omnes,

Et tandem veniet pacis amata quies.

Hoc igitur superest: a Numine rite petendum

Supremo, ut patriae semper adesse velit.

Illud erit clemens, ut spero, rebus in arctis.


Sic et erit lacrimis diffidiisque modus.

O aeternae Deus, precor, huc huc tende potentem

Excelsa coeli de regione manum.

Sis nobis facilis: nam nos peccasse fatemur.

Spes sine Te nobis nulla salutis erit.



Fac, *Pax* arua colat; fac; horrida bella quiescant,

Fac, nostras terras visat amoena quies.

Protege *Saxoniam*, quae supplex tota gemiscit.

Huc ades, o nostris, Optime Christe, bonis.

Fac, tua coelestis diuina oracula verbi

In nostris templis semper amata sonent.

Quae nos turbarunt pellas mala, Pacis amator

Maxime. Sit lacrimis diffidiiisque modus.

Fac, timor ut noster vacuas euadat in auras;

Nobis perpetuo tempora pacis eant.

Pugnatum fatis est! coeant in foedera reges:

Infauti belli flebile cesser opus.

Euentura precor: dextris coniungite dextras,

Qui geritis vestra regia sceptrum manu.

AVGVSTVS viuat! gens omnis regia viuat!

Detur inoffensa, REX, Tibi pace frui.

Sic ubi grata quies *Germano* illuxerit orbi,

Grata resoluemus laudibus ora Dei.

Aurea tranquillae tunc ducent otia gentes;

Blanda quies cunctis dulce leuamen erit.



Sidereae comites, toto gens inclita coelo,

Tunc aderit *Paci*, turba sacrata Deo.

Intemerata *Fides*, sancti sine crimine *Mores*

Veraque *Relligio*, purpureusque *Pudor*.

Splendida, labe carens, alto sub tegmine fulgens,

Iuste exercebit fasque piumque *Themis*.

Tandem nexa comas viridi *Concordia* myrtho

Subsequitur. Gratae tempora *Pacis* erunt.

Rura ferent messes, calidi cum fideris aestu

Deponet flauas annua terra comas.

Ipse Deum laudans laetos errabo per agros,

Signa voluptatis spicea ferta gerens.

Atque aderit diues foecundo *Copia* cornu,

Et delectabit frugibus omne solum.

Pampinus ornabit montes: de montibus uua

Dulcis pendebit, carmina laeta docens.

Iucundum visu! passim *Pax* arua pererrans

Ducet araturos ad iuga curua boues.

Agricola adfiduo, nimium satiatus aratro;

Cantabit certo rustica verba pede,

Tityrus, en! patulae recubans sub tegmine fagi,  
 Lanigeras pecudes et sua rura canet,  
 Lauream ferta gerent, felicia signa, poetae,  
 Grata resoluentes laudibus ora Dei,  
 Tunc palmae atque oleae cingentur frondibus arae,  
 Laetaque reddentur verba dicata Deo,  
 Tunc sacrata Tibi, Pacis dator alme, iuuabit  
 Dulcius argutae pleetra mouere lyrae,  
 Ipse, gerens sacram circum mea tempora laurum,  
 Sacra frequentabo, dum pia vota cadent.  
 Tunc benefacta palam repetam populumque docebo  
 Altius: applaudet sacra ceterua mihi,  
 Laetior ipse Tuas meliori carmine laudes  
 Rite canam: votis, annue, Christe, meis,  
 Patria florebit: sic aurea saecula current.  
 O DEVS, ah! votis annue, summe, meis,  
 O fortunatam venturo tempore terram!  
 O iucunda quies, sis maneatque diu.

ULB Halle

006 831 753

3



W 9 28







*h. 56, 8.*

Vd  
2773

ELEGIA  
DEO OPTIMO  
MAXIMO  
CONSECRATA

PRO  
RESTAVRANDA PACE ET  
SALVTE PVBLICA

AVCTORE

*M. CAROLO FRIDERICO WILHELMI,*

*DIAC. ERBISDORF.*



FREIBERGAE, prelo MATTHAEANO.

MDCCLVII.

